



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

XXXII [i. e. XXXIII]. De his qui minores ordines & subdiaconatum vel duos sacros simul recipiunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

TITULUS XXXIII.

De his qui minores ordines & subdiaconatum vel duos sacros ordines simul recipiunt.

Idem Episcopo. . . & Abbati sancte Leucadi.e.

Accedens ad presentiam nostram dilectus filius D. pauper sacerdos sua nobis insinuatione monstravit quod cum primos quatuor ordines & subdiaconatum a bonae memoriae Exoniensi Episcopo in simul recepisset, & postmodum, eo defuncto, a successore ipsius in Diaconum fuisset promotus, ac demum ipso defuncto, a venerabili fratre nostro Exoniensi Episcopo fuerit in Presbyterum ordinatus, quia eidem Episcopo fuit quorundam relatione suggestum ipsos praefatos quatuor ordines & subdiaconatum in simul recepisse, eum officio beneficioque privavit, licet dilectus filius P. Capellanus sanctae Mariae de Barrinovo in praesentia tua, frater Episcopo, testimonium perhibuerit quod tot simul idem sacerdos recepit ordines, de ordinatoris sui beneplacito processisse. Cum igitur in hoc praefatus sacerdos dinoscatur potius ex ignorantia quam astutia deliquisse, praefertim cum ordinator suus eidem in simul duxerit tot ordines conferendos, & secundum Apostolum facilius consequi valeat indulgentiam quam ignoranter deliquit, discretionem vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus praefato Presbytero, si verum est quod proponitur, officium beneficiumque faciatis restitui, nec permittatis propter hoc a quoquam molestatione indebita fatigari.

Idem A. Mutinensi Episcopo & magistro Vb. Theologo Subdiacono nostro Modiocensi Canonico.

Cap. 17, de temp. ordin.

Literas vestras recepimus responsivas super inordinata ordinatione A. Imolenis electi, quem G. Bononiensis Episcopus praecedenti sabbato in Diaconum, & sequenti Dominica continuato jejunio in Presbyterum ordinavit, in quo quantum uterque deliquerit, evidenter intelligit qui prudenter attendit. Si enim utrumque ordinem eodem die illi conferri non licuit, pari non licuit ratione unum ordinem uno die & alterum altero jejunio continuato conferri, cum propter continuationem jejunii fisione canonica, sive mane diei do-

Tom. I.

minica trahatur ad sabbatum, sive vespere sabbati ad diem dominicam referatur, profecto mane cum vespere, seu vespere cum mane, ad eundem diem pertinere dicitur. Nam si, quantum ad hunc necessitatis articulum pertinet, mane ad unum diem, & vespere referretur ad alterum, cur esset continuatio jejunii necessaria, cum & sabbato ante coenam & dominica ante prandium intelligamus esse jejunii? Ne autem si factum hujusmodi sub silentio transiremus, id alij licitum reputantes similia facere attemptarent, & sic facti perveritas traheretur a posteris in exemplum, praefatum Bononiensem Episcopum, ut puniatur in quo deliquit, a collatione diaconij scilicet & presbyterij, alterum vero ab executione sacerdotalis officij volumus manere suspensos, donec de ipsis aliter disponamus. Ut igitur mandatum apostolicum debitum consequatur effectum, per apostolica scripta mandamus quatenus quae praemissa sunt faciatis tam ipsi Episcopis quam per Bononiensem & Imolensem dioeceses publicari.

TITULUS XXXIV.

De his qui favorem praestant pugnantibus, & homicidiis sponte vel non sponte commissis.

Idem Nidrosiensi Archiepiscopo.

Quod in dubiis &c. *Et infra.* Sane ^{Lib. 1. epist. 381.} consuluit nos tua fraternitas quid de Presbyteris sit agendum qui gubernant naves ad pugnam, & his qui alios incitant, sed non pugnant. Ad haec fraternitati tuae taliter respondemus, quod quia tam sacerdotes qui gubernant naves ad pugnam, quam qui personaliter exercent pugnae conflictum, & hi qui alios incitant ad pugnam, enormiter peccant, de rigore canonico credimus deponendos.

Idem Archiepiscopo & Archidiacono Senonensi.

Exposuit nobis dilectus filius M. Presbyter de Stabulis quod cum olim invitatus a quibusdam pueris de manu unius illorum arcum receperit & sagittam, & eam dirigere voluerit in arborem quae obstabat, manu errante, sagitta eadem discurrens per aërem puerum quendam valde distantem modicum vulneravit in capite, propter quod idem puer postmodum creditur expirasse. Quod cum idem Presbyter bonae memoriae G. praedecessori tuo,

FFff